

- 410 si tecum vivit. *TH.* invidere omnes mihi, 20
 mordere clanculum : ego non flocci pendere :
 illi invidere misere ; verum unus tamen
 inpense, elephantis quem Indicis praefecerat.
 is ubi molestus magis est, “quaeso” inquam “Strato,
 415 eon es ferox quia habes imperium in beluas ?” 25
GN. pulchre mehercle dictum et sapienter. papae
 iugularas hominem. quid ille ? *TH.* mutus ilico.
GN. quidni esset ? *PA.* di vostram fidem, hominem per-
 ditum
 miserumque et illum sacrilegum ! *TH.* quid illud, Gnatho,
 420 quo pacto Rhodium tetigerim in convivio, 30
 numquam tibi dixi ? *GN.* numquam ; sed narra obsecro.
 (plus miliens audivi.) *TH.* una in convivio
 erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus.
 forte habui scortum : coepit ad id adludere
 425 et me inridere. “quid ais” inquam homini “inpudens ? 35
 lepu’ tute’s, pulpamentum quaeris ?” *GN.* hahahae.
TH. quid est ? *GN.* facete lepide laute nil supra.
 tuomne, obsecro te, hoc dictum erat ? vetu’ credidi.
TH. audieras ? *GN.* saepe, et fertur in primis. *TH.*
 meumst.
 430 *GN.* dolēt dictum imprudenti adolescenti et libero. 40
PA. at te di perdant ! *GN.* quid ille quaeso ? *TH.* per-
 ditus :
 risu omnes qui aderant emoriri. denique
 metuebant omnes iam mē. *GN.* haud iniuria.
TH. sed heus tu, purgon ego me dē istac Thaidi,